68198

W 34358 325

HELLEBORUS NIGER

Medicè Delineatus,

Et

FAVENTE DEO T. O. M.

CONSENSU INCLYTI MEDICORUM ORDINIS,

PRÆSIDE,

VIRO

NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, EXPERIENTISSIMO,

DN. GEORG-BALTHASARE MEZGERO, MED. D. ET IN ACADEMIA TUBING. PROF. CELEBERRIMO, FACULTATIS h. t. DECANO SPECTATISSIMO,

Suſceptore ſuo Venerando,

Publico ſubmiſſus Examini

à

M. RUDOLPHO JACOBO CAMERARIO, TUBINGENSI,

H. Lq. ſolit.

D. Febr. M.DC.LXXXIV.

TUBINGÆ,

Literis KERNERIANIS.

VIRO
NOBILISSIMO, AMPLISSIMO,
EXCELLENTISSIMO,

DN. GEORG- BALTHASARI MEZGERO, MED. DOCT. & PROF. P. IN ACADEMIA TUBINGENSI CELEBERRIMO, p. t. DECANO SPECTATISSIMO,

Suſceptori ſuo Venerando,

Et

DN. ELIÆ RUDOLPHO CAMERARIO, PHILOS. ET MED. D. AC PROFESS. IN EADEM ACADEMIA PUBLICO, CONSILIARIO ET ARCHIATRO WIRTEMBERGICO,

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

Parenti ſuo Optimo,

Has Studii Medici Primitias

Inſcribit & offert

Author.

Σ. Θ.

HElleborum Bibe: Veteribus Græcis & Romanis familiare ac celebre eſt Adagium: Illo quippe opus habere judicabantur inſanientes, aut animo parum conſtantes, imò & Avaris Ipſum exhibere jubet *Horatius*. Ablegati hinc ſunt *Anticyras*, ut ſc. poto ibi Helleboro ſanæ reſtituerentur menti; unde laudatus modò Poëta deploratam inſaniam ſignificaturus vel tres *Anticyras* non ſufficere cecinit; quo & inductus *Carneades* adverſus *Zenonis* libros ſcripturus corpus Helleboro prius purgavit, ne quid ex corruptis humoribus ad domicilium usque animi redundaret, imitando forſan noſtro etiam tempore uni & alteri prurientium *Scriptorum* Exemplo. Ad *Anticyras* navigare, tale iter emetiri hodie opus non eſt, poſſidemus enim utrumque tam Album, quàm Nigrum, ceu diſtinguuntur communiter. NIGER mihi, cùm ſub anni proximè elapſi & expirantis finem in horto, tempore quidem aliàs non florido, mecum de *Themate Exercitÿ Academici* deliberarem, è nivibus emergens flore ſuo albo purpuriſſante ſe monſtrabat, tam formæ elegantia quàm Virium præſtantia maximè commendabilis, unde breves pro Scopo dicto de *Ipſo* potiſſimumque ejus RADICIBUS, quæ maximè in uſum veniunt, conſcribere ac proponere Theſes (Tractatui enim elaborando imparem me fateor) placuit. *Faveat hîc pariter ac in toto Studiorum ſtadio DEUS Ter Opt: Ter Max.*

THESIS I.

HElleborus ſive *Helleborum* juxta *Æmil. Macrum* & *Horatium*, apud *Dioſcoridem* quidem cæterosque *Græcos* tenui ſpiritu conſtanter ſcribitur, *Apulejus* autem primam Vocalem eſſe aſpirandam præcipit, etymon ſine dubio ſpectans, ſc. *παρὰ τὸ ἑλεῖν τῇ βορᾷ*,

quòd eſu perimat; Latinis *Veratrum* dicitur juxta *Scaligerum* & *C. Hofmannum* ἀπὸ τοῦ Verare, non autem quod mentem vertat; Duo ſub ſe communiter traditur continere genera, *Album ſc. atque Nigrum*, non confundenda, quod multi faciunt, ſed melius ac à plurimis fieri ſolet, qui *Helleborum* ſimpliciter ponendo dubium relinquunt Lectorem, quisnam ſit intelligendus, à ſe invicem diſtinguenda, & ab ipſo quoque *Hippocrate*, ſi *Galeno* aliisque credimus, tam accuratè diſtincta, ut cùm Helleborum ſimpliciter ponit, Album ſemper indigitet; quod tamen univerſale non eſſe pace tantorum Virorum mihi videtur, nixo authoritate *Manelphi* & *Borrichij*, qui *Hippocrati* Nigrum familiarius eſſe cenſet. Ceu & *Renodæus* cùm noſtro Seculo abſolutè & ſimpliciter Helleborus ponitur, nigrum uſurpandum vult *Diſpenſat. p. 177.* Forſitan ſi *Hippocratis Epiſt. ad Democritum de Hell.* integram poſſideremus, talia roborarentur, ejus autem ſaltim principium inter opera *Hippocratica* reperitur. *Græcos* per Helleborum intelligere album, *Arabes* autem nigrum vult *Heurnius in Aph. p. 224.* Albus à radice alba nomen adeptus floribus vel ſubviridibus vel atrorubentibus, foliisque Plantagini vel Gentianæ aliquantum ſimilibus præditus eſt, apud *Chinenſes* & *Iavanos*, quibus *Poiſiock* vocatur, ſummo in pretio eſſe dicitur à *Bontio in Med. Ind. l. 3. c. 10. p. 154.* Raram ejusdem ſpeciem obſervavit *Borrichius* circa *Gratianopolin* in rupibus verſus Monaſterium grande Carthuſianorum ſponte pullulantem, folio tenui & crenis diſtincto *v. A. Haſn. Vol. 5. Obſerv. 84.* Vidi Vulgarem præterita æſtate flor. atrorubentibus cum Gentiana majore lutea, quæ è Vicinis *Alpibus* allata lætius fere ac in natali loco floruit, Hortum hujus Academiæ Medicum Publicum, cujus *Præfectus Sagaciſſimus, Vigilantiſſimus*, eſt *Excell. Dn. Præſes*, exornantem, hunc remitto ad ♁, aſſumo autem Nigrum, nec tamen omnes ejus ſive ſpecies, ſive alias, quibus nomen hoc à Botanicis imponitur, plantas.

II. Sepono quippe 1. *Helleborine*, quæ alio nomine *Epipactis, Alyſma, Calceolus Mariæ, Damaſonium* (ad Helleb. quoque relatum à *C. Hofmanno, Med. Off. p. 32.*) &c. vocantur, quarum aliquas circa *Tubingam* quoque noſtram reperimus, præſertim flore purpureo, copioſè autem in *Alpibus* viisque earum declivibus, quæ optimo etiam jure *Apollinis* receſſus vel Forum quoddam Pharmacarium dici poſſunt, inter plurimas alias rariores plantas diverſis formis deprehendimus.

2. *Helleb.*

2. *Helleb. nigr. fœtid. Bauh.* marginibus florum puniceis apud Nos conſpicuum, obſervante id ipſum quoque *Menzelio* in *Pugill. rarior. plant.* qui nigrum flore viridi *atris maculis* præditum, aliumque *trifolium Spinoſum*, qui & in Horto Patavino colitur, ibidem deſcribit. 3. *Hell. nigr. hortens. fl. viridi*, raro in floribus colore, *Bauh.* & qui *Saniculæ* folio depingitur, cujus vim Helleb. albo fere ſimilem, ſed mitiorem & alvo quoque purgantem primum ſe expertum eſſe dicit *Geſnerus in Ep. l. 2. p. 78.* ut & 4. *Hell. nigr. tenuifol. Buphtalmi flore, Hippocratis* dictum *Tabernæmontano.* Quatuor Hell. n. præter adduct. citantur in *Indice plant. Hort. Regii Pariſienſis*; Retineo in præſenti *quartum* illum *Bauhini nigrum fl. roſeo (albo)* in hortis noſtris cum præcedentibus coli ſolitum, depictum à *Pancovio, Matthiolo, Cluſio, Tabern.* & accuratè à *Paſſæo in Horto Florido.*

III. Synonyma hujus apud Authores deprehenduntur *Planta Leonis, Dodon. Melampodium* ab Inventore Melampode ſ. Vate ſ. Paſtore, vocarunt & Polyrrhizon, Evchymon, Entemon, Ἔκτομον Hipp. præcipuè, alia hujusmodi recenſet Tragus, *Dauram* Theophr. Paracelſus, qui alibi requirit ut omiſſo Helleb. nomine, *Albus*, Junior alba, *Niger* Senior nigra vocitetur, quia illa junioribus ſolùm competat, hæc verò ſenibus, annum ſc. 50. transgreſſis. In lingua autem noſtra Vernacula, Chriſtwurtz / ſchwartze Nießwurtz / *Græc.* ἐλλέβορος μέλας, *Hiſpanis* Verdegambre negro, yerva de Valleſteros, *Italis* Elleboro nero, *Gallis* Ellebre, Veratre noir, *Arab.* Charbecha ſued, *Hungar.* Fekete Hunyor, *Chinens.* Tamqueni dicitur referente *Menzelio* in Ind. A *Zaluzan. de Zaluzaniis* in *Meth. Herbar.* inter Plantas ranaceas rotundas folio compoſito majore & craſſiore naſcentes refertur.

IV. *Folia* habet numeroſa, robuſta, & ſaturatè virentia, χλωρὰ *Dioſcor.* non lutea hîc ceu χλωροὶ ὀφθαλμοὶ inter Icteri ſigna recenſentur, ſed viridia & virentia, virorem hyeme quoque retinentia, levia, duriuſcula, veluti Lauri, per ambitum inciſa, digitata, *Raji meth. pl. nov. p. 108. Helvet. mors. morb. p. 76.* Ea ſeptena ſimul ex robuſto atque canaliculato pediculo, foliis quæ ex apice expanduntur nudo, qui quoque plures in univerſa planta habentur, prodire dicit *Matthiolus*, atque ſex quæ utrinque terna exeunt in exortu ſimul conjuncta ſpectari, quod verò medium eſt per ſe ſolum ſine comite conſiſtere. Non tamen

ſemper ita contingit, ſed quandoque è ternis illis aliquod denuo ſubdiviſum ac inciſum duo quaſi diverſa folia exhibet. *Caulis* cubito paulò brevior dictus, ſæpe tamen vix digito apud nos longior, rotundus eſt, glaber ac ſolidus, rubicundus non rarò, cui *flores* roſarum ferè figura ipsâ hyeme inſident, Violaceum odorem tàm recentes, quàm penè exſiccati referentes. *Flos* ex quinque conſtat foliis, modò albo, modò rubro, tandem vireſcente colore præditis; nec enim hi colores diverſas plantas conſtituunt, ſed ejusdem plantæ, ſobolem eſſe *Geſnerus Ep. l. 2.* & *Cluſius* jam annotarunt, & *Rolfinck. de Purg. p. 205.* florem qui in adoleſcentia albus erat, in ſenio rubere inſtar *Ranunculi nemoroſi albi* teſtatur; *V. C. Bartholin. Exerc. Miſcell. p. 101.* Non rarò tamen flores antequam plenè expandantur, jam rubere conſpiciuntur, ut & folia flori proxima, qualia in *Pæonia* quoque cernimus. In medio floris inter alba *capillamenta* ſ. *filamenta* copioſa, quibus flava corpuſcula, lineâ intermediâ diſtincta, pariter ac in roſis inſident, aliquot exoriuntur ſiliquulæ invicem conjunctæ corniculi figurâ, numero 7. vel 8. in quibus *ſemen* reconditur, quod parvum & oblongum cernitur, quædam illius granula immatura figuram fere *acini* per Microſcopium inſpecta referebant. Cingunt has ſiliquas & capillamenta quaſi *calices* quidam parvi, virides, floribus Digitalis non abſimiles, qui parvis petiolis inſiſtunt, nec æquali in omnibus numero reperiuntur. *Radicibus* nititur tota planta, numeroſis, longis, tenuibus, fibrarum inſtar, extus magis nigricantibus, tenui intus matrice, & à bulboſo capite, à quo caulis exit, prodeuntibus, ſive perpendiculariter deſcendentibus.

V. Hæc organicarum partium inſpectio externam plantæ figuram exhibet; interiorem autem earum ſtructuram deprehendere licet ex parte variis ſectionis modis, dum caulis, radices obliquè modò, modò perpendiculariter aut transverſim ſecantur, ubi *fibras* varias, *ductus*, *parenchymata*, cernere licebit, maximè autem microſcopii ope, in tota planta mira non tam deſcribenda, quàm depingenda, ſicut in aliis plantis ubiq; tamen diſtincto & determinato modo, *vaſa*, *ſuccum alibilem vehentia*, *tracheas aëri inſervientes*, *vaſa lymphatica* & *lactea*, *uterum*, *ſecundinas*, & quæ alia plura à *Malpighio* & *Grewio* manifeſtata ſunt, qualia etiam de *Semine* præſertim multa curioſa, num vera pariter judicent alii, leguntur apud *Authorem de la Recherche de la Verité p. 41.* Nec tamen cùm hujusmodi partibus analogicè ad animalia ita deſcriptis gaudeas

deat *Hell. niger*, *Animal* dicendus erit ſenſuque præditus v. *Morhof. de Parad. ſens. p. 7.* Particularum inſenſibilium conditiones qui adducunt monentur à *Bidloo de Re herb. p. 65.* dum inquit: *Eja hoc ag te veſtris Microscopiis, imò Macroscopiis è particularum motu & conjunctione tot miraculorum in plantis demonſtrate cauſam.* Liceat tamen ſecundum *Principiorum* hodiè uſitatorum attributa partes *Radicis* noſtræ integrantes deſcribere, quæ ejus conſtituunt texturam, & variæ ſunt. Dicam autem de *Senſibilibus*, ſi inſenſiles conſulere cuidam placet, in harum notitiam iſtæ nos deducant neceſſe eſt. Tales nimirum ſenſiles, quæ mihi experimenta inſtituenti varia per varios Ignis gradus, per varias menſtruorum differentias, examinanti per alia phœnomena occurrere videbantur. Sunt autem *Sulphurea*, *Salina*, *acres volatiles*, *fixa*, (nec *Acidas* penitus excluderem) *aquea*, *terrea*. Biga priorum dominium obtinet, non tamen omnis reliquis adimitur agendi, reſtringendi vis. Subjecta quippe Radicum harum *libr. ſem.* in retorta igne libero deſtillationi, prodiit *Olei* inflammabilis flavi & nigri ℥ß. *Spiritus* verò & *phlegmatis* ℥j. nihil autem *ſalis volatilis* in forma ſicca: Illorum verò utrumque acre & fœtidum eſt, & longè lateque fœtorem ſuum diffundit; *Spiritus* quidem manifeſtè *ſalino* præditus ſapore, at nec cum *Alcalicis*, nec cum *Acidis* verè efferveſcere, colorem tamen inde & nonnihil conſiſtentiam mutare videbatur, *Oleo* quippe *Tartari* ſi commiſceatur, turbidus mox & *albicans* evadit liquor absque fervore, & *Spiritui Vitrioli* ſenſim obſcurus, & tandem *nigricans* emergit Color, verùm *Syrupus Violarum* nullam inde in Colore mutationem patitur. *Caput mortuum* nigricans & exuſtum probè ℥iiß, ponderabat, verùm *lixivium ejus* vix ullo ſalino ſapore imbutum deprehenditur, ita ut *Sal fixum* inde in parva admodum quantitate (tàm hoc modo, quàm communi incineratione & elixiviatione) elici poſſit, aſſentiente etiam *Zwelffero*, qui è tota ℔j. vix ℈ß. Salis fix. obtineri dicit; *Cryſtallos* tamen illius pariter ac albi determinat *Fracaſſatus in Ep. de Ling.* Et quidem Sal Hellebori nigri (non addit num *Radicis* an verò *totius planta*, ex ejusdem enim plantæ foliis incineratis aliam Salis figuram exſurgere, ex radice aliam, ſignificaſſe ſibi *Fr. Redi* teſtatur *Borrichius Herm. & Aeg. ſap. vind. contra Conring p. 357.*) oſtendere *pyramides hexagonas duas baſibus* ſuis implicitas, quales etiam obſerventur in *Acetoſa*, *Pipere nigro* &c. quæ qualitatibus ſatis differentibus prædita ſunt. Sed diverſam proferre figuram extra dubium eſſe dicit *Bartholinus*

ſtinus in Epiſt. Grube de Med. fac. præfixa, p. 26. quanquam vel Microſcopium fallat vel angulos nonnullos incuria frangat, vel non ſatis accuratè obſervet. In majori copia Sal Volatile ex iisdem elicere licebit, quod ineſſe ipſis non *Odor* ſolùm & *Sapor* ipſarum acris, ſed & ipſa *experientia* teſtatur. Nec enim è *Radicibus* ſolùm, ſed & *Extracto* earundem obtinere illud licet, teſte *Wedel. Ap. Eph. G. Ann. 4. 5.* ſi ſc. deſtillationi eodem modo ſubjiciatur ac *Opium*, de quo vid. ejusd. *Opiolog. p. 33.* ut & ex Oleo. Obtinebitur autem ſal hoc volatile non tam facile in ſicca forma, quam ceu reliquarum plantarum in liquore, ubi guſtui & olfactui ſe offert, & cum acidis effervefcit.

VI. Colitur quidem Veratrum hoc nigrum ob ornatum in hortis noſtris, non tamen ſufficienti quantitate pro uſu Medico, ſed aliunde Radices ejus deferuntur ex *Styria, Auſtria, Carniola*, ut & *Italia, Comitatu Tyrolenſi ac Iſtria*, ubi copiosè naſci ſolet, teſte *Matthiolo, Cluſio, Camerario*. Vett. commendatum novimus, id quod ex *Helicone* & *Anticyra* petebatur, ubi in montibus maximè petroſis *utriusque Hellebori* copioſum proventum fuiſſe teſtatur *Pauſanias*. *Strabo l. 10. Geograph.* duas *Anticyras* eſſe ſcribit, in quarum altera, quæ ſit poſt *Cryſſam* oppidum Helleborum naſci, in altera verò ejusdem nominis, quæ ad ſinum *Maliacum* & *Oetam montem* ſita ſit, optimè temperari eundem perhibet; *Iſaacus Voſſius Obs. in Pomp. Mel. 2. c. 2. obs. 102.* non ex *Anticyra* in ſinu *Cyrrhæo* ſed altera *Molicuſium*, quam Inſulæ nomine *Plinio* memoratam in ſinu *Maliaco*, vicinia *Pyræ* Inſulæ deducit; quâ optimus proveniebat. Ille autem, quem in hortis noſtris colimus vim purgantem, quam infra Hell. nigr. attribuemus, fortem æquè ac in locis calidioribus creſcentes, vix habebit, ceu plantas quamplurimas pro diverſitate locorum, diverſas videmus induere qualitates; Non ex India, ubi acida Europæa terræ implantata, dulces tamen fructus proferunt, & gramen deſtillatum ſpiritum ardentem præbet. *Beccher. Phys. ſubt. p. 365.* teſtimonium ejus petendum eſt, ipſa Patria noſtra in frumento, quorum unum pro diverſitate locorum altero durius, & diutius ſervabile, ac vino, cujus bonitas non ſolum à loco jam dudum innotuit, verùm quod etiam nonnunquam certum à ſolo ſaporem & proprietates aſſumit alias, clarum ſatis ſuppeditat: Ita *Matthiolus* quoque eam in *Tridentino agro* fortaſſe temperiem eſſe dicit, ut non adeò pernicioſis facultatibus ſcateat *uterque Helleborus*: Imò Veratrum ibi vi purgante orbum eſſe di-

cit

cit *Helmontius in tr. de magn. vuln. cur. p. m. 462.* Et de Albo *Nollius in Phys. Herm. p. 444.* teſtatur, eum multoties repetita transplantatione in meliorem tellurem de vehementia virtutis vomitoriæ non rarò aliquid remittere. Hunc autem ut & alia purgantia ab aura metallicâ nonnunquam inficei arbitratur *Pechlinus*, velut *Septalius* in Doronico Pedemontano ☿ vivum demonſtraſſe fertur ab eodem, *In tr. de purg. p. 297.* Naturam in hoc quoque imitari Ars conatur, *Lauremberg.* enim *in Horticult. p. m. 131.* ſcribit: Si qualitate cathartica imbuere plantam animus eſt, liquorem aſpergendum, in quo tale medicamentum ſolutum fuerit. Probabilius hoc ſtatui poſſet, quàm *Dioſc.* & *Plinii* vinum vi purgante imbuendi modus, juxta vites ſc. conſito veratro nigro; quæ ſingula experimentis comprobantibus adhuc deſtituuntur, ceu & recentiorum nonnullorum ſecreta, circa colorum in floribus rariorum præcipuè productionem.

VII. Viret ſemper, floret menſe Novembr. Decembr. Januario; *unde* autem *perpetua* ipſius media etiam hyeme *viriditas* ſi inquiratur, omnes in principio quodam interno activo, mobili, & hoc ipſo frigori maximè reſiſtere valenti, convenient: nec enim illa nivi ſolùm, eam tamen certo reſpectu eò quid contribuere poſſe non negaverim, attribuenda erit, quippe quâ abſente, in maximo etiam gelu perdurare ſolet; nec foliorum ſolùm robori, cùm aliæ quæ tantum robur non poſſident, e. g. Hell. nigr. alterum genus flore viridi, remota nive vireant, etiam quoad recenter progerminantia folia, ſed ſali alicui volatili (ipſum enim Spir. Sal. Ammoniaci hac hyeme congelatum vidi) ſulphuri juncto, non tenuibus, ſed craſſioribus plantæ partibus aut ſuccis inhærenti, qui pro ſanguine ipſi ſunt, C. *Wolphius Tab. Stirp. p. 11.* Difficilior determinatu cauſa erit *cur* flores ejus ſub Jove libero & intenſo *frigore* protrudantur & conſerventur, tunc cum reliquarum plantarum vix ulla id obtinet: (Arborem quandam non obſtante gelu, nocte Nativitati Dominicæ ſacra florere ſimul & fructus, mala decembria ferre tradunt, v. *Elsholtii Flor. Marchic. p. 125.*) *Principium dirigens, determinans* hîc agnoſco, quod per externa quidem accidentia operatur, quod certum agnoſcit tempus, & hoc præcipuè flores nobis monſtrat, pariter ac recedente hyeme non omnes plantæ ſimul in flores, ſed ſucceſſivè & per ſingulos menſes abire conſpicimus.

VIII. Deſcriptus hic Hell. niger *num Seſamoides Dioſc.* (à quo bis mille annis Botanicæ nihil additum fuiſſe ut putat *Helmontius*, falſiſſimum eſſe dicit *Merret. Pin. rer. nat. Brit.*) numne verum ejusdem & legitimum Veratrum ſit, non ita in propatulo eſt? Seſamoides quod attinet ſatis obſcurè à Dioſc. deſcriptum, videantur de eodem *C. Hoffmann.* & *Ioh. Langius in Ep. Med.* Quoad poſterius verò, à *Matthiolo* quidem, *Cluſio*, & qui ſunt alii è *Vett. Recentioribus* quoque *Sim. Paul. in Quadr. Bot. Hofmanno in Clav. Schröd. & Welſch. in Not. ad Reuſner. Obs. 177.* pro vero agnoſcitur: Verùm *Sebizius* non ſolùm in *Spec. Med. Pr. p. 127.* dubitat, ſed & in notis ad *Hieron. Tragi* Herbarium dicit, deſcriptionem Veratri nigri *Dioſcor.* non convenire cum hoc noſtro, quod ex foliis, flore, caule & ſemine facile probatu ſit; Veriſimile ergò eſſe noſtras Officinas Veratrum *Dioſc.* non habere, quod non ſolum *Pena* & *Lobelius*, ſed & ipſe *Dodonæus* agnoſcant. Equidem ſi Ipſius deſcriptionem inſpiciamus, vix eam hîc applicari poſſe primo intuitu concedimus, Platani ſiquidem folia, frondem vitigeniam referentia Hell. nigro diſſimilia eſſe, ut & Sphondylii ſ. Branca urſina ſit ſ. non, facile patet intuenti; Caulis etiam ipſius aſper non eſt, nec flores cohærent racematim. Verum dubiis his non malè occurrere tentârunt nonnulli, diverſo tamen modo. *Rolfinck* enim *l. c. p. 204.* ſimilitudinem hanc dum botryoides dicitur locum habere aſſerit, non prima fronte nec omni tempore, ſed cùm multi flores in uno aut altero caule è longinquo aſpiciuntur. Aliter ſatisfacere dubio huic conatur *Codronchius*, ſatis probabiliter aſſerens in *Comm. de Helleb. c. 2.* non *βοτρυώδης* ſed *βοστρυχιώδης* in textu Græco legendum eſſe, i. e. in comæ ſ. capilli modum, ſcitè enim exprimere Cæſariem & plexum muliebrem in medio florum Hellebori velut Roſarum capillamenta alba, deinde ſiliquas. Cauſem etiam *τραχὺν* i. e. aſperum *Pena* exponi poſſe putat rigidum, firmum. Cùm igitur applauſu tot *Botanicorum*, tum *Vett.* tum *Recentiorum*, receptus hactenus ſit, verbaque *Dioſcoridis* non malè à *prædictis Authoribus* explicentur, tamdiu eum pro legitimo retinebimus, donec à *Clarioribus Botanicis* quorum ætas noſtra non paucos tulit, ceu aliæ plantæ, elucidetur melius, aut alia, quod vix futurum credo, ejus loco ſubſtituatur; accedente inſuper tot obſervationum atque experimentorum teſtimonio, quod in probatis Authoribus de proprietatibus hujus Hell. nigri excellentibus paſſim reperire licet. *Theophraſtum* quoque circa hunc ipſum Hell. n. non diſſentire à *Dioſc.* multis probat *Dalechampius*.

IX. In

IX. In *Uſum* autem *Medicum* potiſſimùm Radices ejus & folia ducuntur, utraque autem ſub felici conſtellatione *colligenda* juxta *Authores*. Radices ſc. cum aliis generale hoc habent præſuppoſitum, tum colligendas eſſe, cùm virtus earum in ſtatu proximè eſt, eo ſc. tempore, quo ſuccus nondum in plantas eſt elevatus, antequam flores producant. Tempus autem ſpeciale & determinatum adducit ex *Heurnio Schröderus*, quos communiter reliqui ſequuntur, eſſe ſc. illud Luna in aſpectu felici cum ♃. aut ♀e exiſtente, ſub ortu ☉is, Luna creſcente ac peragrante ſignum Capric. Sagitt. Leonis; *dubio* adhuc & *infirmo fundamento*. Quænam autem aliæ ſtellæ tum fixæ tum erraticæ ipſius collectioni faveant, aut quænam illa ſit, quæ ipſi dicat: creſce, robur affla homini, Cabaliſtis ex imo tenebrarum eruendum relinquo. Abſurdiora circa ejus collectionem ſ. effoſſionem adducit *Dioſcorid.* ſcil. effodientes vitare Aquilæ volatum; namque ſi Avis effoſſionem conſpexerit, moriturum eum, qui ſuccidit, augurium eſſe, & *Plinius*, precatione nempe ſolenni & religioſius colligi. *Nos* in regionibus noſtris non ſolùm liberi erimus à metu hoc, verum etiam niſi aliud quid quam verba præ ſe ferunt, intellexerint *Vett.* ſuperſtitioſum credimus, aut juxta *Rolfinck. l. c. p. 217.* ad oſtentationem pretiique exaltationem excogitatum. Subjungit etiam *Dioſc.* effodientibus halitu Hell. n. caput aggravari, idque *Matthiolus* in Anticyra aliisque calidioribus locis, valentius præſtare arbitratur, quàm in Germania, contingere tamen ſi radices ligone vulnerentur, & ventus ex adverſa parte ſpiret.

X. Præcipuè autem in collectione aut coëmptione Radic. ejusdem *obſervandum*, *ne* aliorum HelleArororum, ne Aconiti & Napelli radices aut ſubſtituamus, aut mixtas coëmamus. A poſterioribus cavere jubet *Hofmann. in Clav. Schröd. p. 621.* & *König in R. V. p. 43.* priores a. quod attinet, *Pechlinus l. c. p. 251.* commendat quidem nigrum Helleborum, non autem determinat quem aut qualem. *Rhizotomi* quidem, *Medicaſtri* & quidam etiam *Pharmacopolæ* haud raró colligunt, emunt, & vendunt in uſus Medicos, loco rad. Hell. nigri hactenus laudati, Helleboraſtr. aut Helleborin. radices, at meo judicio minus debitè, quæ & Cauſa mihi videtur diverſitatis doſium hinc inde aſſignatarum, diverſitatis valoris in variis taxis, ut vocant; Sed ille qui floribus in purpura albicantibus præditus in officinas de jure recipiendus eſt, ipſo *Dioſc.* teſtimonio confirmatus, qui florum hunc colorem apertè recenſet, ipſeque

Sebizius licet *Dioſc.* Veratrum nigrum eſſe dubitet, primum tamen genus ex illis quos recenſet in *Sp. Med. Pr. p. 1. p. 124.* quod hoc ipſum eſt, ſubſtituendum eſſe præcipit, accedente præcipuorum Medicorum *Matthioli, Cluſii, Geſneri*, &c. plurium Recentiorum conſenſu. *Camerarius in horto p. 72.* quinam in defectu hujus uſurpandus ſit, docet. De ferulaceo v. *Exc. Wedel. med. fac. p. 144. Rolfinck. l. c. p. 213. S. Paul. l. c. p. 6.* Aliis ſpeciebus vim purgandi *non adimo*, ſed hunc hactenus deſcriptum *præfero.* *Notas* autem *bonitatis* deſcribit *Dioſc.* Eligendum ſc. eſſe Veratrum nigrum, quod corpulentum & plenum, in quo tenuis ſit medulla, acre guſtu, fervensque; Nigricat quoque præ aliis Hell. n. ſpecierum radicibus.

XI. Viſa Hellebori nigri deſcriptione Botanica, videndum quoque quales ejusdem radicibus tum tribuantur tum reverà competant facultates viresque in reſpectu ad corpus noſtrum humanum, ejusque ſanitatem ſive conſervandam ſ. reſtaurandam; Tria aliàs recenſentur, ad quæ omnia in naturæ regnis deprehenſa referri queunt, Alimenta ſc. Medicamenta & Venena, quorum eſſentiam totam eſſe relativam, non malè ſtatuunt nonnulli. Veluti autem Hell. n. inter nutrimenta corporis non referendus, ita Venenorum tamen numero eximendus. Albus qui vehementior longè eſt & in Hiſpania in præſentiſſimum venenum commutari dicitur, nigrum quoque mala culpa involvit, eodemque titulo proſcripſit. *Zacutus* enim *Luſitanus de M. princ. hiſt. l. 5. hiſt. 25.* per Helenium, herbam Græcis ita vocatam, Helleborum intelligit, cujus ſuccum Dalmatæ & Daci telorum ſuorum cuſpidibus aſpergere dicuntur, qui ſimul ac ſanguinem vulneratorum contigerit è veſtigio illos interimat; ex *Galeno l. d. Theriac.* & *Paulo*, vid. etiam *Pechlin. l. c. p. 306. Proavum meum Memor. Cent. X. §. 80.* Verum magna eſt inter utrumque differentia, inquit laudatus *Pechlinus.* Albus quomodo lædat v. *Celeberr. Wepfer. de Cic. Aq. p. 220.* Circa Maniacum ab ejus uſu extinctum hiſtoriam ante & poſt mortem obſervatorum recenſet *Geyger. Microc. Hypoch. c. 23. Helmont. Diſpens. modern. p. m. 288.* Coturnices albo nim. veneno veſci, hinc ab eſu abigendas haud *pauci* tradunt. Sed ſecuro animo iisdem veſci jubet *Plempius de Valet. tuend. p. 150.* Album tamen vehementiſſimorum & formidandorum purgantium claſsi inſererem. Malè autem Pictorius *de cons. val. dial. 2.* Ellebori, Erucæ & Braſſicæ umbram cæteris herbis adeò noxiam dicit, ut ſi comedantur à

beſtiis

beſtiis noxiæ & ipſæ evadant: Sed præter culpam. Niger verò, ex eo, quia purgans eſt, venenum per ſe & propriè dicendus non eſt *v. Ammann. Manud. ad M. Med. p. 47.* Sed ritè exhibitus (nam mitiſſimum medicamentum extra Artis regulas uſurpatum lædere valet) multa corpori noſtro pollicetur bona.

XII. *Calida* enim *Siccaque* ſunt hæ Radices in uſum maximè vocari ſolitæ, talesque levi linguæ admotione deprehenduntur. Inprimis enim Sapor magni Indicis vice defungitur in herbarum facultatibus inquirendis, teſte *Bartholino in cit. Ep.* Is ipſe in iisdem *acris* eſt, ſubdulce tamen quid conjunctum habens, partibus ſuis acutis aut alio quocunq; certo tamen figuratis modo, linguæ papillas ferit pungitq; non leviter, ſed manifeſtè & cum moleſtia, ad tertium hinc calidorum gradum referendas eſſe has radices indicans. Novi quidem *Grew* Helleborum inter illa purgantia recenſere quæ non habent ſaporem aut ſaltim non multum, *Id. Hiſt. Phytol. p. 128.* verùm ſatis acris eſt harum radicum ſapor. Num ater Radicum color, velut in Macrocoſmo ob radiorum ad intra reflexionem, corporibus quibus ineſt conciliat majorem calorem, quam albus aliique colores *Rob. Boyle de Color. p. m. 40.* Ita etiam ſignum eſſe poſſit radices ipſo præditas calidas in corpore noſtro futuras, dubium eſt, cùm juxta *Neotericos* color ſub certo reſpectu non niſi in ſuperficie radios variè modificante conſiſtat, quâ mutatâ ſalvis interea viribus, color ipſe mutatur; vixque tanta erit virium diverſitas radicem inter ac florem, quantam colorum diverſitas exigit. *Calidam* cùm dixi craſin aut *temperiem* radicum harum, eo ipſo quoque *particulas* ipſarum *Salinas*, *Sulphureas*, tenues indigitavi, quarum beneficio vim penetrandi & aperiendi obtinent; & ſic agunt quod & alia purgantia medicamenta, cùm in minori doſi quàm pro purgatione neceſſaria eſt, uſurpari ſolent & permiſcentur aperientibus, medicamentum ſc. inde evadit ad aperiendum, ad attenuandas heterogeneas moleculas, & hîc aut ibi eliminandas efficaciſſimum. *Comment. Proſſ. Martian.* in *Hipp. de morb. l. 2. ſect. 2. vers. 214.* Exempla occurrunt in decoctis aperientibus, quæ feliciter ſæpe purgantia recipiunt, & Hell. nigrum in ſpecie *Geſnerus* aperientibus & pectoralibus addit. A *Planetis* vires denominare herbarum cui placet, audiet referri inter herbas *Saturninas* ab *Eklero*, *Aliisque*, ob folia ſubfuſca, laciniata, ſaporem ingratum, odorem abominabilem, flores tempore *Saturnino* nempe hyeme & in altiſſi-

tiſſimis montibus tanquam locis *Ioviniis* provenientes; alias addit rationes *Helvetius in Phyſiogn. Med. p. 193.* qui tamen inter alia Saturninarum Plantarum balſamicas virtutes ob volatilitatem valdè diſſipabiles, nec injurias aëris nimis æſtuoſi nec frigidi perferre poſſe dicit, quod Helleb. nigro vero non convenire videtur. Et ſic in *Phyſiogn.* quidem inter *Ioviinas Hell. n.* recenſet, alibi autem in *tr. Mors Morbor.* reponit inter *Mercuriales*.

XIII. Præcipuè autem Radicum Hellebori nigri *Vis purgans* commendatur: Inſtructæ enim ſunt ſatis partibus illis quas communiter ad purgationem requiri ſtatuunt Authores, Sulphureo-Salinis, acribus, viribus fermentationem illam fuſoriam excitare pollentibus dotatis, (in ſpecie *Nitroſas*, non autem *Reſinoſas* vult *Hannemann. Meth. Veg. p. 132. & tr. de purg.*) *Salinas* guſtu aliisque modis facile deprehendimus; *Sulphurea* fœtore quem igni admotæ emittunt, inflammabilitate &c. produntur: Nec tamen difficile Illis erit, qui Sulphur principium eſſe negant, tales hîc reperire partes, quales purgationem inſtituere cenſent: Sic enim ab effectu facile deſcribimus partes quibus adſcribi poteſt purgatio, *ſi quis autem plantam nondum ipſi viſam nec notam examinet ex Olei & Salis quantitate & qualitate, & inde quas neceſſario, & non aliter obtineat vires demonſtret, major is mihi erit Ipſo Apolline* non malè dicit *Lamb. Bidloo Diſſ. de Re Herb. p. 40.* Quo enim determinato pondere, menſura, numero, partes hæ commixtæ ſint, ut non purgans ſolùm medicamentum, ſed hoc ipſum in Individuo conſtituant, (conceſſo etiam *Recentiorum* aſſerto, obſcura hujusmodi à certa ſolum materiæ diſpoſitione provenire,) explicari ſufficienter non poteſt. Quot enim quibus illæ particularum *generales* conditiones competunt, ſunt medicamenta, quæ tamen niſi in nimia doſi irritando purgantium claſſi apta non ſunt; Extraordinaria ſunt cum quidam purgantur ob ſolam imaginationem, v. *Eph. Germ. A. 4. & 5. O. 160.* Ita ex aſpectu *in A. Hafn. V. 5. O. 49.* ex inſomnio *in Eph. G. A. 3. O. 234.* notatur ſubſecuta purgatio: *Pilulis ex micis recentis panis cum ſaliva formatis & deauratis loco Francofurtenſium deſideratarum exhibitis in Viro egregio quinque dejectiones & unum excitavit vomitum, Paulinus Eph. G. A. 6. 7. O. 238.* Pilulas *lapideas*, à Natura formatas ut magnitudine, Colore & figura pilulas aloëticas ordinarias, ut vocant, referrent, cuidam harum loco à ſodalibus exhibitas inſigniter purgâſſe novi, fraude dete-

ctâ,

ctâ, altera vice nihil penitus eduxiſſe. Quanta in purgationis negotio Spirituum ſit Vis inde colligere licet.

XIV. *Modum agendi* cum reliquis purgantibus communem hunc habent, ut non ſolum actuatæ illius particulæ acres nerveas Inteſtinorum & Ventriculi fibras irritent & irrequietum reddant motum periſtalticum, multa enim acria aliaque valdè irritant nonnunquam nec tamen purgant, ſed requiritur inſuper, ut more aliorum purgantium humores in hypochondriis viſcidos (qui non ſaltem purgantium vim ſæpè retundunt, ſed & ipſa involvunt, veluti *pilulæ* poſt annum demum integræ *aureque* adhuc obductæ ejectæ leguntur *in Eph. G. A. 2. O. 92.*) attenuent & incidant, ad ipſum ſanguinem per vaſa venoſa & lactea abeant, eum fluxilem reddant, fermentent, non ceu in *febribus*, nec qualis ab *acidis* contingere ſolet aut *abſorbentibus*, vel potius turgere faciant juxta *Gliſſon. de Ventr. p. 494.* Perque ipſam hanc actionem heterogeneorum ſecretionem inſtituant in ipſo jamdum ſanguine; illum enim in purgatione fluidum liquatumque ſine discrimine V. S. oſtendit, *Pechlinus l. c. p. 180.* qui lixivioſi ſalis præſentiam in purgantibus inde ex parte deducit, affuſaque *Ialappæ* ſive ℥ij ſolutione ſecretionem iſtam producere tentavit, veruntamen plenam expectatamque non obtinuit. Hæ ipſæ ſecretæ quodammodo partes ad alvinas jamdum in ſtatu naturali excretioni dicatas vias, nunc quoque à purgante laceſſitas ope *arteriarum* deducuntur, ubi nonnullæ ab *hepate*, aliæ *pancreate* & *Inteſtinorum glandulis*, tum *ſolitariis* in craſſis inteſt. magis conſpicuis, tum *areolarum inſtar conjunctis* (quas non in recentibus ſolùm Inteſtinis in privatis ſectionibus, ſed & exſiccatis ſæpius conſpicere mihi licuit, & *Pechlinus*, *Peyerus*, *Aliique*, prolixius deſcribunt) ſecernuntur, ab inteſtinorum motu periſtaltico non ſine dolore excernuntur; Verbo: *Liquantur humores, natura irritatur, ſequitur Excretio. Wedel de Med. fac. p. 138.* Cæterùm humor ille eductus non mera putrilago eſt, aut merum per Virus purgantium tabefactum liquamen ſed talis qui peccavit prius potiſſima portio, non ſolus ſc. *Melancholicus*, nec *electivè* excretus, ſed ſerum variis partibus tinctum, lenta vitreaque pituita, bilis & atra & flava; Quod Vett. etiam agnovére, Helleborum nigrum non tantum bilem, pituitam, ſed & Melancholiam ducere aſſerentes, quæ pulchrè explicat *Willius de Morb. Caſtr. p. 59.* Ejiciuntur autem hi humores non

tam

tam per *ſuperiora*, veluti ab Helleb. albo, quam per *inferiora*; *Marſilius quidem Ficinus de Val. tuend.* aït: *Helleborus ejus eſt proprietatis, ut ſive folium deorſum ſ. ſurſum trahas, tum ſubitaneo tactu creditur fieri, ut vel ſurſum vel deorſum humores educat*; Quid de *Sambuco* in ſimili negotio ſcribant, novi: *Kircherus Mund. Subt. l. 12. S. 4. c. 5.* dicit, *forſan facultatis purgativæ propaginem & concurſum ad eam partem ſequi, ubi violentus motus contigerit.* At ut in indaganda cauſa quis occupetur, opus non eſt, fide enim digna audivi *Experimenta* theſin iſtam negantia. Per alvum igitur propriè & per ſe purgat, & quidem blandè ſatis & innoxiè ut etiam pueris & gravidis debilibusque corporibus dari poſſit, teſte *Schönborn. Manual. Med. p. 316.* Frequentiſſimè quoque ejus radices magno cum emolumento & absque ulla ægrorum moleſtia in Vinis & aliis liquoribus medicatis præſcribit *Parens meus, omni obſequio Colendus.* Nec enim niſi à minus debitè quoad ſingula circa rectam purgantium adminiſtrationem requiri ſolita exhibito noxa corpori noſtro metuenda eſt. *Hypercatharſis* quidem ab ejusdem uſu *in Verz. aſch. Obſ. 73.* (quæ tamen lacte, cydoniis, theriaca facile ſiſti poterit) ipſaque mors ex eadem & *convulſionibus* legitur *in Tim. à Güldenkl. Caſ. p. 312.* & *Munting. de Ver. H. Brit. p. 71.* ſiniſtri ab Helleboro effectus meminit, nec tamen addit, *albo* ne an *nigro.* Verùm hæc quoque ab aliis admodum laudatis medicamentis & quidem ſæpius & facilius fieri poſſe, imò facta obſervant hinc inde *Practici*, & ab omnibus etiam laudatis Chymicorum ut ☿. dulci & hujusmodi, ſi debito modo non præparentur vel nimia doſi exhibeantur, labes Ventriculo imprimi ſolet, illeque ſæpe valdè inflammari; Ipſeque *Cnöffelius*, cujus tamen æger intra 7. ab uſu Extr. hell. n. horam mortuus eſt, non ideò eum damnat, ſed culpam in minus debitam præparationem refert, Non enim Niger ſed Albus Helleborus inter illa purgantia recenſeri debet, quæ à *Williſio* deſcribuntur quod *Ventriculum & Inteſtina atrociter vellicent & lancinent, quin imò ſanguinem aliosque humores vi quâdam ſeptica plurimum exagitent, fundant, inque mixtione ſolvant.* Hujus Hellebori vi purgante *Cirrhæi* olim expugnati traduntur, aquis ſcilicet eodem infectis, egregio ſtratagemate rem gerere herbarum ope, dum armorum non licet. *Ludovici in Pharmac. p. 139.* Helleb. nigrum Styriacum quaſi Antimoniatum vocat, talis tamen nec ratione modi purgandi eſſe videtur, cum per inferiora, *Antimonium* au-

tem

tem per ſuperiora magis purget, nec ratione violentiæ, cùm illud longè violentius ſit. Imò ipſe inter *Lenientia* pace magnorum Virorum collocari poteſt, ceu reliqua etiam purgantia, ſi in minori doſi ſive per ſe ſive præparantibus mixta quacunque forma exhibeantur, idem præſtant cum *Eccoproticis*. Non autem qui nihilominus vim quandam malignam iſtis in minori doſi propinatis purgantibus tribuunt, hoc modo ea ſolùm oppugnant, ſed ſimul omnes *infuſiones laxativas* aliaque quæ Ventriculum lubricando & irritando, adeoque non ſine magno labore & aliquando noxâ excretionem provocant, ipſa enim quoque partim propriè purgantia ſunt, aut talium tamen partium, quocunque modo aliis confuſarum & diffuſarum beneficio agunt; Ipſe enim hic Helleb. niger tantopere à nonnullis diffamatus, teſte tamen *Plinio l. 25. p. m. 213.* ad leniter molliendam alvum ex aqua tum temporis dabatur. Quòd *Helmontius* purgantia ita deſcribat, ut meritò dubitare liceat, num talia unquam ipſe poſſederit notum eſt; hoc tamen de *Hell. nigri foliis* ſuo proprio atteſtatur exemplo *Tackius in Chryſog. p. 131. quòd cum aliis mixta faces ab impuriori ſanguine ſine ulla difficultate ſeparent, nec more aliorum purgantium cum virium detrimento, ſed refectione & ſublevatione totius. Helbigius* Sacerdotum medicamentum Catharticum in regno *Malaparenſi* laudat, quod naribus tantum admotum toties ſine torminibus & nauſeâ alvum movet purgatque, quoties ab homine odoratum fuerit: *Celeb. Eph. G. Collectores* ex faſciculo, qui & hoc comprehendit, delectum inſtituendi libertatem relinquunt: Noſtro ſub *Climate* tale non reperitur. Cùm aliqui totos *Hellebori manipulos* (non additur nigrine an albi) conſumſiſſe dicuntur, aut cùm eundem biberent non purgatos eſſe, illud conſuetudini procul dubio vel ſingulari Ventriculi aut Inteſtinorum texturæ adſcribendum erit. Vett. aliàs etiam *externè* applicito Helleboro purgati ſunt, pedes ſc. ſuos decocto Hellebori lavantes, *vi purgatrice inſtar lucis* (partibus ſc. tenuibus, ſubtilibus & Volatilibus) *ſeſe fundente per corpus*, inquit *Heurnius in Comm. in Hippocr. libell. de Purg.*

XV. Qui purgantia non niſi gradu à *Diaphoreticis* & *Diureticis* differre ſtatuunt, radicem hanc quoque in minori doſi vim iſtam poſſidere, & iſta *Diaphoretica* ac *Diuretica* in majori doſi purgare ſtatuant ſimul neceſſum eſt; verùm contradicente experientia. Melius purgantia ſimul *Anthelmintica* & *Sternutatoria* vocantur, licet enim & *Radii ſola-*

res pulvisq́ʒ, quem naribus libros forte excutientes haurimus, ſternutationem moveant, nec tamen purgent, in plurimis tamen purgantibus & ipſo noſtro *Helleboro nigro* verum id ipſum deprehendimus. Albus licet vehementior ſit, nec tamen niger hîc deficit, ſed *partibus quoque ſuis tenuibus penetrantibus, mordacibus membranam narium internam, vaſa & ſubjectas glandulas aperiendo, liquando, fundendo, irritando agit, ut Excell. Dn. D. Hiller. Phyſ. Marpac. Feliciſſimus D. d. Med. Sternutator. th. 10.* has vires deſcribit. Non tamen illud neceſſarium judico, quod *Quidam* agunt, dum pulvere hoc naribus inſufflato ab inſaniâ liberare ægros ſtudentes, ligant ipſos prius manibus pedibusque ne ſcilicet ſanguis ex uno loco decurrat in alterum, quæ ratio circulationi ſanguinis non conſona meritò rejicitur, ſubſtitui forſan poſſet ejus in locum fortior inde facta irritatio & heterogeneorum lædentium excluſio. *Quercetanus cap. aff. c. 13.* concinnat ex *Helleb. n.* ℥j. & *Maſtich.* ʒß. nodulum, quem in *aq. Pœon.* aut alia convenienti macerat, & naribus admotum ſternutationem ſine violentia movere aſſerit. Partium dictarum acrium beneficio Radix noſtra *mundificantes* & *detergentes* poſſidet vires, dum acido juxta pleroſque in ulceribus peccanti oppoſita, mortificant ipſum, labiaque rubra reddit. De eâdem teſtatur *Matthiolus in Comm.* in *Dioſcor.* quod fiſtulas callo induratas tribus diebus impoſita emolliat, & duobus tribusve diebus callum detrahat, confirmant idem *Julius Alexandrinus in Horto Camerar. p. 73. Plater. de Vit. p. 963. Barbette* quoque *in Chirurg.* inter medicamenta contra fiſtulas ipſas recenſet. Nec hoc ſolùm, ſed & luxuriantem carnem, callum & alia ulcerum conſolidationem impedientia tollunt, hinc inter *Pyrotica* à *C. Barholin. Sen. de Cauter.* recenſentur. Vi iſta liquante, acrimonia qs. fundente itidem proſunt in *fonticulis* non ritè fluentibus, ubi pulvis Rad. Hell. nigr. vel ſolus *C. Barthol. Sen. l. c. p. 84.* vel cum aliis ut *Gentiana, Jalappæ* pulvere inſperſus prodeſſe deprehenditur: Non enim ſolùm in ipſo ulcere contenta corrigit, ſed & ſanguinem allabentem agitat, fermentat, ejusdem heterogenea ſecernit.

XVI. Ex hac ratione à militibus felici cum ſucceſſu teſte *Trago in Peſte* uſurpatur, cùm ſc. perforata cute ignito ferro radix Helleb. nigr. (præſtantior hîc eſt qui flore in purpura albicante præditus) illi inſeritur, virusque peſtilens ita expurgatur. *Veterinariis* quoque noſtris communiſſimum eſt *Setaceum* tale, quod equis variis morbis affectis uſurpare

pare ſolent. *Langius in Ep. Med. l. 2. Ep. 20. Efficax hoc* dicit, *& ſalubre remedium divertendi virus à corde, quod felici ſucceſſu expertus ſit Caſpar Keglerus, Lipſienſis Academiæ Doctor in curanda febre peſtilenti peritiſſimus. Angelus Sala l. d.* peſte miracula hac radice ſe præſtitiſſe refert. *Sacerdos* ille *Buſcoducenſis*, cujus mirum curandi peſtem modum prolixè recenſet *Diemerbrœck. de peſte p. 229. Helleboraſtri* recentem radicem Vulneri imponebat ſubſequente acerrimo dolore. Præter enim commoda quæ à Vulgari ſetaceo expectari poſſunt, de quibus v. *Exc. Dn. Præſes in Diſp. de Setaceis*, tale ob infixam hanc radicem fortius operatur, & feliciorem effectum poſt ſe trahit. Nec contemnendus ille modus, quo infra *bubones* ſpithamæ longitudine veſicas elevant & dein pulverem rad. Helleb. inſpergentes, locum foliis *ari* obvolvunt, obligantque. Ob aliam quoque rationem commendandus in *peſte* veniret *Helleborus niger*, ſi *Cardilucij in tract. de peſte*, firma ſtaret ſententia, dum præſervare ab eâdem dicit, eas herbas quæ hyeme & æſtate virides perſtant, nec à Vermibus aut animalibus arrodantur, ſingulari ſc. balſamo conſervante præditæ. Quamvis enim Helleb. n. non alleget, cùm tamen requiſita illa eidem competant (imò vim ejus ad 30. annos durare ferunt, inquit *Plinius*) præſervativum etiam peſtis, poſitâ illa ſententia, de cujus Veritate nunc non inquiro, ſit oportet.

XVII. At non ſolùm *Peſti* morbo iſti periculoſiſſimo vel ſi mavis congeriei morborum hoc polychreſtum obviam it medicamentum, ſed & plura alia dantur mala antiqua etiam & ceu Vectibus extrudenda, auxilium ſibi ſpondentia ab illo tam *internè* quam *externè* uſurpato. *Appenſum Helleborum nigrum geſtantes admodum ſenes fieri, Hiebner myſt. ſigill. Herb. & Lap. p. 66.* putat, ſicut aliàs Chymici Vett. Helleb. nigr. in hoc commendant, quod *omnes Virtutes Herbarum in conſervanda eſſentia corporis humani in ſua virtute excellat, Beſard. Ant. Ph. p. 102.* Et mirum eſt, cum Helleboro uſus *Hippocrates* tam frequenter fuerit, illeq; à ſubſeqq. Medicis ferè omitteretur, *Theophraſtum Paracelſum* eum revocâſſe, ipſiq; non ſolùm curam *Epilepſiæ*, *Apoplexiæ*; *Podagræ* & *Hypis*, & quidem *Albo* in junioribus, *Nigro* in ſenioribus adſcripſiſſe, ſed & Cauſam, quare Antiquiores Philoſophi in ſenectute ſeſe à morbis fere *omnibus* usque ad vitæ terminum defenderint; Non ſolùm autem à *Paracelſo*, ſed *Antiquioribus* & *Recentioribus* tam ipſius Sectæ addictis, quam Adverſariis uſus Helleb. & præſertim nigri commendatur. Ita

Laurent. Hofmann. de Med. Chym. p. 39. Extractum Helleb. n. ad infinitos profligandos morbos aptiſſimum, & à Vett. quoad vires Auro potabili Recentiorum comparatum eſſe teſtatur. *Et Bartholin. in C. V. hiſt. 28. Conſultiſſimus Vir D. Pieruccius, magni Scioppij hoſpes, de Germano quodam in Italia degente mihi fidem fecit, quod 60. ætatis anno dentes novos & nigros capillos refecerit ſolo Helleb. nigr. Extracto cum Vino & Roſis, & ad plures annos avum extenderit*, inquit. *v. quæ* de ſale Helleb. n. habet *Heurnius Meth. ad Pr. p. 321.* Contra *Venena Tragus* commendat *pedicular iam* ſuam *fœtidam*, quam Hell. n. ſpeciem ſupra diximus, ſibique à *Monacho* quodam relatum ait, qui ſuſpenſam de corpore habuerit radicem ejus, etiamſi Venenum aſſumſerit, nil tamen inde mali paſſurum, quod in *cane* ipſe tentaverit. In *febribus* varii, quo ludere ſolent, generis noſtras exhibere radices proderit, modò quæ Moderni non ſolum quidam, ſed & *Hippocr. in lib. d. purgat.* monent, obſerventur; dicit hic: *Qui Validis febribus impliciti jacent, his non ante febris remiſſionem pharmaca dare oportet.* In ſpecie autem definet opprobrium Medicorum eſſe *Quartana*, ſi vera ſunt, quæ *Matthiolus* confirmare nititur: *Nunquam enim*, inquit, *quod meminerim Hellebori dilutum dedimus quartanariis noſtris, quin ex unica aſſumtione vel ſaltem altera fuerint ad ſanitatem reſtituti.* Nec ſolùm *Matthioli* dilutum commendatur, ſed & *Quidam Eruditus Medicus*, referente *Heurnio Meth. ad Pr. p. 319. Bonnet. ☿. compital. p. 888. ad Quartanam exhibuit diluti rad. Hell. n. Ʒij. cumque nil excerneret ager, tandem venit ad ℥ß. & felicisſimè liberavit.* Ante *paroxyſmum* inſtar aliorum purgantium exhiberi poterit, ſi diuturna febris, corpus robuſtum, coctio aliqua appareat, & *antifebrilia præcipitantia* jungantur, *Wedel. Diſp. de Purgant.* hoc enim modo non ſufflaminabitur vis purgantium, ſed potius ob naturam moventem humores & jamdum irritatam intendetur & juvabitur.

XVIII. In *Deliriis* & *Melancholia*, ubi Hell. albus nonnunquam nihil movet, nonnunquam ob vehementem purgationem non tantum non prodeſt, ſed & malum intendit, nigri radices longè tutiores ſunt, aliis præſertim junctæ ſæpiusque repetitæ; cauſæ enim mali hujus tum in primis viis hærenti tum in tota M. Sang. obviam eunt, ſive enim proveniat illa ab internæ imaginationis thymoſi, ſive à cauſis occaſionalibus in hypochondriis alibive ſtabulantibus, utrobique tamen removenda erunt non ſaltim aliorum remediorum impedimenta, ſed & ali-

aliquando Cauſæ morbificæ rationem induentia, quæ in priori caſu ob metum & triſtitiam, ſpirituumque animalium averſionem neceſſariò ſubſequentes *effectus* ſunt, hîc autem *Cauſæ*. Cùm *Melancholia* & *Mania* ſæpè miſceantur, ſæpè alternent, mirum non eſt, quod & hîc Helleniger commendetur, adeoque quidem ut alterum inde ſynonymum ſuum ſc. *Melampodium*, acceperit, quoniam *Melampus* furentes in ſe *Præti filias* primus eodem purgaſſe dicitur; *Novoq; experimento comprobatum eſſe*, dicit *Pechlinus l.c.p.315. Extr. Helleborini* ℥ß *ter in diem propinata furioſas nonnullas mulieres convaluiſſe, & ceu alias prætidas revixiſſe.* In *Sitoni Iatroſoph. Miſc. Tr. 25.* dicitur Helleborus partibus conſtare quibusdam humanæ naturæ inimicis & maleficis, quibusdum amicis & beneficis; His naturam adjuvari ad mentem in priſtinum reducendam, illis eandem ita infeſtari, ut mentis læſioni, quam ipſa illarum particularum malitia afferat, proſpicere nequeat, ſicque Helleborum *homines ſapientes & dementes facere*; Quæ tamen ratio in dubium ibi vocatur, ſuppeditata alia, nempe dementia laborantes evacuatione atræ bilis reſtituere, ſanos in humorum peccantium abſentia agitare, ut ſpiritus & humores corporis boni mentis tutelæ neceſſarii evacuentur. At τὸ an ſit, an experientia comprobet, dubito. Novi quidem *Lexiphanem* perhiberi hauſto Veratri ſucco ſtatim *topper*, *ſtlempus*, *redantruo*, *gnarneres*, *aſcalabotion*, *carbaſter*, *formidanda* vocabula eructâſſe; At obſervationes Medicorum raro aut nunquam inter ſymptomata enectorum ab Helleboro deliria referunt. Sed leve eſt humores è corpore exturbare majus longè eſt, radices has dæmonia ex obſeſſis ejicere poſſe: Quod enim *Eraſmus in Declam. in Laud. art. Medicæ* refert, ope Medicâ illa ejici poſſe, id *Rolfinck. l. c. Helleboro* applicat. Ita etiam *Eslerus in Iſag. Phyſ. Med. p. 15.* hujus ope Melancholicum Dæmoniacum reſtituit, qui diabolum præſentem eumque ſecum abducere volentem ſomniabat. *Abbas ad S. Nicolai Venetiis* ſolebat Dæmone vexatis potionem exhibere ex *Hell.* & *Cinam.* in *Vino albo* infuſo, plurimis profuit ut exorciſmo ne quidem opus fuerit, quo in cæteris utebatur. *Welſch. in Schol.* Nos quoque *Patavij* plurimos ex ruſticana plebe utriusque ſexus homines vidimus ad aras Sanctorum & pedes exorciſantium delatos, qui fruſtra excarnificati in noſocomio dein publico *Helleboriſmis* reſtituti ipſo eventu comprobârunt ſe non Dæmoniacos, ſed Melancholicos tantum aut Maniacos fuiſſe; *Mictomimemat. Cent. 2.*

 n. 75.

n. 75. Scilicet pariter procul dubio obſeſſi tales fuerunt crediti ac ſæpiùs morbos à *Veneficio* oriundos plurimi non ſuſpicari ſolùm, ſed & firmiter credere ſolent, Medicis vix ullibi faciliorem aſſenſum obtinentibus ac in locis de Veneficio ſuſpectis omnes graviores affectus eidem imputando. *Exhibenda* tamen *Evacuantia à faſcino morbidis, qui atra bile & Melancholico humore, in quo balneum dæmon quærit, abundant. Fit Evacuatio vel per ſuperiora vel per inferiora, ſuntque Sena, Elleborus, Veratrum*, ſunt verba *Cel. Frommanni de Faſcin. l. 3 p. 10. ſ. 1. cap. 1.* §. *4.*

XIX. Commendant etiam Medici radices has in *Epilepſia*, ceu enim, ut loquitur *Quercetanus, hæ aſtralibus morbis ſummum & præſentiſſimum remedium, ſpecificum purgando Cerebro, Nervis, Viſceribus, Veſicæ & Matrici idoneum ſunt, ita etiam Epilepſiæ curandæ & prorſus averruncandæ ſummè conducunt.* Magnopere etiam eandem non commendat modò *Vnzerus de Epileps. p. 186.* ſed & magnum numerum *Authorum* in hoc ipſo affectu eum commendantium allegat, qui videantur. *Epilepſiam* brachii ſetaceo, inſerta Helleb. radice curatam v. in *Rhod. Obs. C. 1. O. 62.* Exhibetur etiam in *Apoplexia*, non tamen quavis; *Dentium dolore*, qui quò frequentior affligit, eò rarior ſtatim ſedatur, inter innumera enim alia quæ ubique occurrunt remedia, decoctum etiam radicis hujus cum aceto eidem opponi ſolet: in *Auditus gravitate*, ubi juxta *Dioſcor.* in aurem demittitur, & per unum aut alterum diem detinetur: Quod medicamentum alio paulùm modo, addito *ſc. Oleo amygd. amar.* uſurpatum commendat *Matthiolus, Aliique. Barbette* in *ſpiritum* ſuum *otalgicum*, quem in aurem inſtillatum mira præſtare refert, recipit quoque Radices Hell. nigri. Utiliſſimè quoque *Hydropicorum* ventri imponi *Cataplaſma* ex iiſdem, *farina hordeacea* & *vino factum* teſtatur *Dioſcorides. Ezlerus l. c.* internè quoque æthereâ virtute pollere dicit in *Hydrope*, earumque uſu plurimos hydropicos humore etiam *pectus* jam occupante intra paucos dies curatos eſſe. *Qui Affectione Scorbutica laborantes, frigidioris ſunt conſtitutionis, atque morbus in Diatheſi Salino-Sulphureâ, vini penduli æmula, fundari videtur, iis Catbartica aſperiora & particulis calidioribus prædita exhibeantur*, inquit *Willis. de Scorbut. p. m. 179.* At ſingulas fere ibi deſcriptas formulas Extr. Syr. Tincturas, ipſe Hell. niger quoad radicem ſuam ingreditur: In *Arthritide Vaga Scorbutica* Helleborum nigrum omnibus purgantibus antecellere dicit *Möllenbrocc. in tr. de eâdem p. 58.* In *Podagra* à

Para-

Paracelſo non ſolùm, ſed & aliis commendatur. Mirabilem *menſium pro-lectionem* cum totius corporis, innoxia tamen, contractione ope noduli è ℈j. rad. hujus in vaginam uteri immiſsi recenſet *Angelus Sala de Eſſent. Veg. Anat. p. 142*, In earundem quoque ſuppreſſione *Zonnatti* Herbarii ſummum experimentum eſt Pomum Helleboratum radicibus confixum, quæ ad *fœtus* etiam ſugillati *ejectionem* ab ipſo *Hippocr. de morb. mulierum* commendantur; & contra *Scabiem* à Dioſc. illitæ cum thure aut cera & pice & cedrino oleo: Ab aliis quoque in *Cancro*, ut *Ammann. in Med. Crit. p. 211. Lue ♀ea, ut & Lepra, Vitiliginibus*, & aliis *Cutis vitiis*, ſc. in his poſterioribus cum aceto in formam *Cataplaſmatis* redactæ. Sunt & *plures* alii *morbi*, quibus felici eventu radices Hellebori nigri opponere geſtiunt Medici, quos brevitatis ſtudio tranſilio.

XX. Hæ ipſæ autem *Radices*, ſi *Pharmacevticam* reſpiciamus, non *integra* in uſum Medicum vocari ſolent, ſed *fibræ ſolùm* luxurioſiſſimè ſerpentes, rejecto *fundo* ſive *capite*, canibus tantùm dando purgationis cauſa juxta *Plinium*, ita *Willis.* in *Pharmac. Rat. p. 67.* non niſi fibrarum Hell. n. meminit, ut & *Caſpar Hoffmann. l. c. p. 33.* & *Alii.* Guſtus parvam inter has partes deprehendit differentiam, paulò tamen majorem in fundo quam fibris acredinem. Nec tamen 2. hæ fibræ quoad omnia retinentur, ſed *cortex ſolùm* rejecta medulla, non tamen ab omnibus. *Rolfinck. l. c. p. 212.* examinatis omnium Hellebororum radicibus, *ſolum fœtidum Bauhini* ita comparatum eſſe dicit, ut corticem digitis ſtringentibus concedat, & paucis interjectis lineis; *Videtur conſultum eſſe integra cum cortice & medullâ uti. Zwelfferus* inutilem & impoſſibilem decorticationem hanc judicat, *Schröckius* autem contrarium defendit. Quicquid ſit, tum fundum ejus tum medullam rejici poſſe concedimus, de facto tamen in pluribus locis utrumque retineri deprehendimus, Medicusque pro diverſa hac uſurpatione diverſam quoque *doſin* præſcribere neceſſum habebit.

XXI. *Crudas* absque ulla prævia præparatione quidam has exhibere ſolent *Radices*; *Plerique*, ut in ſcholis *Pharmaceuticis* loquimur, præparant, corrigere, ſi quid noxium poſſidere viſæ fuerint, illas conantes. Illa autem Vett. quoque nota fuiſſe, & quondam *Philonides Siculus Ennenſis* de præparatione & modo exhibendi Helleborum ſcripſiſſe fertur; quem ſi poſſideremus hodie, facile forſan, quisnam *mollis Hippocratis Helleborus* ſit, pateret, ut & alia plura deſiderata. Variat *Corre-*

ctio

ctio illa inter *Recentiores* : Eam non tam exhauriente Diſpenſatoriorum maceratione, quàm Recentiorum humida divaporatione inſtituendam eſſe docet *Ludovic. l. c. p. 139.* Commendatur alia per *pallium Aromaticum*, ut communiter ſed ridiculè in purgantibus contingere dicit *Ettmüll. D. d. Chir. Infus. c. 3. Aniſo ſc. Cumino, Calamintha, Cinamomo* &c. alia, quæ per *acida* fit, aut *alia media*; imò per alia *purgantia* addita, veluti *Scammonio*, (quod Vett. *Scammonium* num idem cum noſtro ſit, judicent alii) juxta *Plinium Sale*, Veteres enim hoc modo eundem è Ventriculo & Inteſtinis exturbari credebant, ne nimis diu hæreret ibi; *Agaricus* autem abſit, inquit *Heurnius*, nam unà ſtrangularent, & *dulcia* juxta ſæpius citatum *Plinium*, in quibus copioſius periculum infert. *Phlegmate Vitrioli & Aceto* quæ fit præparatio veluti communis ita quoque magni æſtimanda, quo autem modo inſtituenda in *Schrödero* & *Sennert. Inſt.* videre eſt. Peculiarem præparationem in *Diſpenſator. Hafnienſi* deprehendimus, *Phlegmate & Spiritu Vitrioli*, ut & *ſucco Citreo.* In *Pharmacop. Amſtelredam.* & *Bruxellenſi* radices hæ *aceto*, in *Londinienſi ſucco Cydoniorum* macerantur & dein ſiccantur. Non obſtat, quòd per acida hoc modo *caſtrari* credant nonnulli purgantia, modò enim id obtineatur quod per *fermentationem* ſpondent alii, ſive dein illud fiat per partium quarundam ablationem, quod caſtratio propriè vult, vel per earundem retuſionem ſ. alio quocunque modo; vim enim purgantem non periiſſe *experientia* teſtatur, modò præparatio non ſit nimia. *Alius* præparandi *modus* eſt Veteribus quoque uſitatus, cùm *pomum* in quo infixæ ſunt radices hell. nigr. ſub cineribus coquitur, illisque extractis cum ſaccharo comeditur. Coqui etiam à quibusdam ſolent, ubi *Gruling. de Evac. Univ. p. 337. ſpumam* diligenter removendam eſſe monet, utpote quæ venenata ſit, talemque in *Opio* quoque occurrere. Crudæ autem hæ radices ac præparatæ variè in *pulveribus*, *infus.* & *decoctis* exhiberi posſunt ac ſolent, & in vario etiam *liquore*, ut *Aqua, Vino, Cereviſia, Sero, Juſculis &c.* cum fructu & absque noxa, aliis quoque med. addi.

XXII. Inter illa, quæ *Pharmaceutica* ope inde parantur medicamenta, caput exerit *extractum*, quod variis conficitur modis. *Sex* recenſet *Schröderus*, unum è recentibus, reliquos è ſiccis. *Extractum* quod deſcribit *Liberatus de podagr.* prolixum nimis, menſtrua vix ſatis apta habet. *Chalybeatum* quoddam commendat *P. Zacchias*, quod non abſimile eſt correctioni, cujus meminit *Dieterich. Iatre. p. 418.* & certe *Martialia*

pur-

purgantibus felici junguntur mixtura. Fieri itidem poteſt *Extr. ſive Eſſentia* ad modum quem proponit du *Hamel de foſſil. p. 148. Liquore ſcilicet Nitri fixo & Sulphureo*, quod hoc modo à me paratum *acerrimum* eſt, & cum *acidis effervescit. Charras* & *Thibault Celebres Chymici Galli* uterque duplex adhibet menſtruum ob partium ſolvendarum, Salinarum & Sulphurearum diverſitatem, ille quidem in *Pharmac. Reg. Chym. p. 128.* ad modum Extr. *Ialappæ* hoc parat primò vino albo, dein Spiritu vini, hic vero *dans le Cours de Chymie p. 258.* Spir. vini, & pòſt aqua communi. *Pechlinus* cum *aceto ſquillitico l. c. p. 251. Willis* cum ſpiritu vini Sale Tartari imprægnato ex irroratis prius radicibus Spiritu Salis illud conficit. Disceptant hîc quoque *Zwelfferus* & *Schröckius* num Extr. aqua ſimplici paratum Spiritu vini denuò ſit extrahendum, quos alii componant: in *Diſp. Hafnienſi* aqua ſimul & Spir. vini radicibus affunduntur. Mihi arrident pleraque ex adductis, illud autem qui retinet, quod *Spiritu vini* paratur, non errabit; præterquam enim quod non commune ſolùm, ſed &, ſi *Pechlino* credimus, verum germanumque purgantis Reſinæ (& Salis) menſtruum ſit, hîc quoque in ſpecie commendatur à *Paracelſo*, & *requiritur* à *Cnöffelio* in *Tim. à Guldenk. Caſ. p. 312. & in App. Eph. G. ann. 6. 7.* cui reliqua menſtrua ſuſpecta ſunt omnia. Facile autem pro cujusvis *Practici* intentione variare poteſt, ut hic ſpir. Vini Tartariſatum, alter præparatas prius quocunque modo radices affumat, alter talia omittat; medicamenta tamen hoc ipſo obtinebunt, quæ in virium diffuſione, conſtrictione & refractione, & per conſequens etiam doſi ipsâque taxâ non parum variant. *Stimuli* aliàs loco Extractum hoc *potionibus* & *pilulis* addi ſolet; Tutò id exhiberi poſſe imò *ſecurius quàm pilulas fœtidas ſcribit Welſch. Conſil. Med. C. 1. Schol. ad Conſ. 56.* & cum *flor. caſſiæ in Morbo nigro Hippocr. dicto*, commendat *Sylvaticus Conſ. Med. 77. Cent. 2.* Id ipſum quoque *Ptarmicis* rectè à quibusdam aſſociatur. In Extracto autem hoc major vis quàm in *pulvere* videtur concentrata reſidere, aliter quam ſentit *Gunt. Billichius O. Chymiatr. p. 109. Eſſentia* quoque inde parari poteſt modo quem deſcribit *Zwelfferus in Animad. ad Extr. Melampod. & ſeq.*

XXIII. Succedit *Sal fixum*, cui nonnulli Chymici tribuunt *Vim purgandi*, quæ tamen vix alia erit quàm quæ omnibus *Salibus alcalicis* competit, quæ propriè loquendo non purgant; Imò merito dubitari poteſt, num unquam reipſa inde purgationem quamcunque Chymici obtinuerint

cum ut ſupra dictum in tam parva quantitate comparetur. *Heurnij Sal*, de quo ſupra, peculiare quid præſtare poſſe vix videtur. Nec *Sal Radicum Volatile* ſeparatum Vires non obtinet purgantes, ſed quales aliis etiam *Salibus urinoſis* competunt; Particularum ergò *Volatilium*, quibus purgatio adſcribi ſolet, *peculiaris* ſi purgare debent, requiritur mixtura. Deſcripti ſupra *th. 5. Olei* & *ſpiritus* quæ ſint Vires & proprietates, experiendi hactenus defuit *occaſio*. *Aqua* ipſarum *deſtillata* non purgare cenſetur conſentientibus recentiorum pluribus. *Rolfinck. l. c. p. 224.* aquam deſtillatam ex radicibus his digeſtis cum *phlegmate Vitrioli acerrimi* ſaporis eſſe refert, ſi Helleborus recentior ſit, cuinam autem uſui accommodanda aliis judicandum relinquit. Num non partibus ſaporem illum aquæ communicantibus vis quædam purgans infuerit, earumque ablatione Vires reſidui imminutæ *in tantum*, facile experiri quis potuiſſet. *Borrichius* autem Aquam Helleb. n. aliasque purgantes rationibus & experimentis confirmare non dubitat, *in Vind. contra Conring. p. 340.* *Medicus Dresdenſis Celebris Ganzland* Radices cum Vino infudit, poſtmodum per B. M. aquam elicuit, cujus *cochlear* unum purgare dicit corpus ſufficienter; ad cujus modum & ego acquiſivi aquam quæ limpida, ſpirituoſa & odore penetrante, nec tamen citò avolante prædita, ſapore autem ingrato non acri, ſed qualis fere in ſpiritu Vini aquoſo eſt, alio ſulphureo fœtido juncto, relictis in fundo cucurbitæ radic. ſapore tum acido tum adverſo qui aquæ inerat, imbutis. Vires purgantes illius hîc vel ibi tentare non licuit: ejus tamen *duo cochlearia* nec tormina nec purgationem excitaſſe comperi. Qui *Curioſa* ſedulitate diffuſum inſtruunt *Pharmacopolium*, ad modum aliarum & ex his radicibus eâdem libertate parare poterunt *Conſervam*, *feculas*, *Magiſterium*, &c. *condire* poterunt formâ humidâ & ſiccâ, an cum commodo, ipſi viderint. Si recentium eo, quo huic Themati incubui, tempore copiam habuiſſem, *fermentationi* ſubjeciſſem, forſan non ſine ſubſequenda phœnomenorum utilitate.

XXIV. *Agmina Compoſitionum* ab Hell. n. Nomen ſortitarum in Diſpenſatoriis & extra ea conſpicimus, *Syr. Vlmenſ. Quercetani*, *Montani*, *Cratonis*, *Zwelfferi*, *Cnöffelij*, *Oxymel Helleboratum Iuliani*, *Geſneri*, (magnopere laudatum à *C. Hofmann. de Med. Off. p. 34*, à quibusdam panacæa plusquam *antimonialis* dictum) Helleboriſmum *Matthioli* ſatis clarè ab Autore deſcriptum, nec minus à *Zacuto Luſitano*,

rano, nullâ *Matthioli* mentione facta *in Pharmacop. p. 96.* Vinum Helleborat. *Quercetan.* Quintam eſſentiam *Ioh. Petri Fabri*, Balſamum quoque apud *Schröderum p. 322.* (Non abſimilis hic videtur præparationi Hell. n. quæ apud *Beſardum in Antro Philoſ. p. 101.* reperitur, ibiq; à *Decano* quodam inventa dicitur, qui eâ uſus eſt, & annos 186. vixit) admodum autem commendatum fuiſſe Hell. n. ſtyriacum *Cnöffelio* ex pluribus ejusdem compoſitionibus eluceſcit, quarum præcipuas ipſe ingreditur, *ſolutivum ſc. ejusdem Helleboratum*, *Elixir proprietatis ſolidum & liquidum*, nec minus *pilulas balſamicas univerſales*, ut & *Emplaſtrum purgans admirabile*, quorum ſingulorum deſcriptiones cum viribus iisdem attributis eximiis videri poſſunt in *Eph. G. Ap. A. 6. 7.* Omnes compoſitorum fere formulas ingredi aptæ ſunt, *decocta*, *electuaria*, *mella*, *pilulas*, *pulveres*, *ſpecies*, *ſyrupos*, *morſulos*, *trochiscos*; Quæ ſingula nunc non compilabo. Quot autem compoſitiones aliis nominibus inſignitas ingrediatur hinc inde, vix dici poteſt. Extractum ſc. catholicum *Munting. de V. Herb. Brit. p. 14.9.* Catholicum, quo *Vincius & Henneluccius* contra morbum caducum feliciſſimo eventu uſi ſunt; pilulas catholicas *Charraſii*, Alœphanginas *Grimmii*, *ejusque* Extr. Diacatholicum, *Myns.* Extr. panchymagog. polychreſt. Hydropic. *Lazari Riverii* Catharticum Catholicum, pilulas contra omnes impuritates ſanguinis, aliaque plura v. etiam *Möllenbr. de Varis p. 64.* *Ettmüller de præſcr. Form.* præſcribit *Oxymel Diuret. Laxativum*, quod ingrediuntur radices Hell. nigr. ad ℥vj. *infus. purg.* quod continet harum non præparat. ℈ij. *pilulas in deſperata alvi obſtructione ex* auro fulminante cum extr. Hell. n. *pulv. ſternutator.* ex rad. Hell. n. non præparat. cum ſacchario &c. Quibus ſordent diffuſè prodigeque repoſita *compoſita*, *extemporaneis* mixturis ex extr. Hell. nigri aliisque inde paratis quibuscunque vehiculis junctis facilè obtinere poterit, quod intendit. Si nauſeet æger, vel Medicus alia ex cauſâ id forte ſuaſerit *in Venas quoque infundi poterit*; in minori tamen doſi, *B. Ettmüll. in cit. ſuperius Diſſ.*

XXV. Radicum harum *Doſin* inferiorem ponunt ſcrupuli pondus *Dodonaus*, *Duncanus*, *Montagnana*; qui & hanc ſummam vult, *Gentilis*; *Sennertus*; Granorum quindecim *Meſue*, *Ioël*, *Morellus*, *Horſtius*. Adſcendunt ad ſummam, ſcrupulos duos, *Ioël*, *Morellus*, *Sennertus* & *Gentilis*; ad drachm. ſemis *Horſtius*, ad Drachmam *Meſue*, *Dodonaus*.

Dun-

Duncanus. Scrupulos duos imò ℈j. *robuſtioribus* dari poſſe largior. Doſis tamen pulveris hujus pro *diverſa pulveriſatione* variare debet; Monitum quippe *Hofmanni* eſt, *Hell. n. in tenuiore polline ſævius purgare quam craßiore*, v. etiam *Heurnius l. c. p. 511.* Cauſam autem apud *Pechlin. l. c. p. 64.* In *infuſo* vel *decocto* inferiorem ponunt drachmam plerique, ad ʒij. adſcendit *Morellus*, cum quo & ego facerem; ad ʒiij. *Claudinus*, ad ℥ß. *Sennertus. Aceto* præparatæ Infuſ. & Vinis medicatis, aliis præſertim medicamentis additæ pondere ℈j. ij. exhiberi poſſunt. *Extracti* doſis pro parandi modo variat; Summa à quibusdam ℈j. conſtituitur, *Helvetius* gr. viij, à *Medico* augendam & minuendam ponit doſin. Quod ego laudavi à gr. vj. vij. ad xvj. exhiberi poterit.

XXVI. Frequentiſſimi ergò uſus ſunt *Radices*, maximum præſtant commodum: Nec tamen inutiles cenſerem *Flores*, quorum *ſtructura, odor, ſapor, color & in genere florum prærogativa*, quam ob ſucci quem continent, quoque nutriuntur depurationem & exaltationem poſſident, & alia non fruſtraneos illos monſtrant; Nec inutilia *folia*, quæ *purgante* etiam vi prædita ſunt. *Geſner. in Ep. l. 1. Hellebori nigri petiolos cum ſuis foliis ternos in vini hauſtu decoquere jubet, vinumque colatum bibi ad alvi ſolutionem in Morbis Atrabilariis.* Quid *folia* hæc *Tackio* in imminente jam *Phthiſi* præſtiterint ſupra citavimus. Nimius autem in illorum laude *Paracelſus* eſt, cùm ait, quod non ſinant hominem mori ante 120. annum. *Anton. le Grand. in curioſ. perſcrut.* inoffenſam valetudinem ad ſenectam usque conſervare dicit, qui Hellebori nigri folia ſaccharo commiſta deglutit ad juglandis magnitudinem; conſentiente etiam *Ezlero l. c. p. 14. Balſamum foliorum* ſenes absque morbis conſervare ſtatuens. Intentione autem purgandi ſimpliciter in pulvere pond. gr. xv. ad ʒß exhibita fuerunt, & *minorem* hactenus quam radices ſuſtinuére *præparationem*, à *Secretariis* tamen nonnunquam ſub ſpecioſo titulo occultata. Medicamentum inde gratiſſimum commendat *Cnöffelius l. c.* pulverem nimirum foliorum felici aſpectu collectorum cum *ſaccharo*, *Sale eſſentiali acetoſellæ & eſſent. Cort. Citri*, quod leniter ſolvat omnes humores melancholicos: Ipſe etiam *Extractum* ex iisdem *Dauræ foliis parat*, quod ſpecioſius mitiusque vocat *Ludovici l. c. p. 134.* Pertinet huc quoque *Electuarium Tackii*, ſecundum *Paracelſi* deſcriptionem paratum, quod ipſe deſcribit cum mirabili in ſemet ipſo ſucceſſu in *Chryſogon. p. 131.*

Verùm cùm ſcopum *attigerim* præfixum, pro conciſis ad ventilandum *Theſibus* hæc ſufficiant.

SOLI
DEO SIT LAUS, HONOR
ET GLORIA.